

De ipsis rebus quibus homines mali sunt; id est de peccatis, quæ etiam, inquantum res sunt, bonitatem quamdam habent; sed inquantum deficiunt, mala sunt.



DISTINCTIO XXXV.

Quid sit peccatum.

Post hoc videndum est, quid sit peccatum. Peccatum est, ut ait Augustinus, contra Faustum. Lib. XXII. cap. xxviii. omne dictum, vel factum, vel concupitum quod fit contra legem Dei. Idem in Libro de duabus Animabus, cap. xi. Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat. In utraque assignatione de actuali peccato agitur, & mortali, non veniali. Ex prima descriptione ostenditur peccatum esse voluntas mala, sive locutio, & operatio prava, id est actus malus, tam interior quam exterior; ex altera vero ostenditur esse actus interior. Voluntas enim, ut in superioribus dictum est, motus animi est: actus ergo interior est. Ambrosius quoque in I. Lib. de Paradiso, cap. viii. ait: Quid est peccatum nisi prævaricatio legis divinæ, & celestium inobedientia præceptorum? Ergo in prævaricante peccatum est; sed in mandante culpa non est. Non enim consisteret peccatum prævaricationis, si interdictio non fuisset. Non consistente autem peccato, non solum malitia, sed etiam virtus fortasse non esset. Quæ nisi aliqua malitiæ fuissent semina, vel subsistere, vel eminere non posset. Ecce prævaricationem legis, & inobedientiam diffinit Ambrosius esse peccatum.

Diversorum sententias de peccato ponit.

Quocirca diversitatis hujus verborum occasione, de peccato plurimi diversa senserunt. Alii enim dixerunt voluntatem malam tantum esse peccatum, & non actus exteriores: alii voluntatem, & actus: alii neutrum, dicentes, omnes actus esse bonos, & à Deo, & ex Deo auctore esse; malum autem nihil esse, ut ait Augustinus super Joann. cap. i. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, id est peccatum, quod nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Supra (a) etiam dixit Augustinus, quod malum est privatio boni, vel corruptio boni: qui etiam in Lib. LXXXIII. Quæstionum, quæst. vi. ait: Summum malum nullum modum habet: caret enim omni bono. At modus aliquid boni est. Non igitur est, quia nulla specie continetur; totumque hoc nomen mali, de speciei privatione receptum est. Item in Dogmatibus ecclesiasticis (b) cap. LVII. dicitur, malum, vel malitiam non esse à Deo creatam, sed à diabolo inventam; qui & ipse bonus creatus est. Idem etiam in Lib. contra Manichæos, cap. viii. quid sit peccare ostendit, dicens: Peccare quid aliud est nisi in veritatis præceptis, vel in ipsa veritate (1) errare? Quod si non voluntate faciunt peccatores, injuste judicantur. Quid igitur in hac tanta varietate tenendum? Quid dicendum?

Vera sententia de peccato hic proponitur.

Sane dici potest, & libere tradi debet, peccatum esse actum malum interiorem, & exteriorem, scilicet malam cogitationem, locutionem, & operationem. Præcipue tamen in voluntate consistit peccatum, ex qua tamquam ex arbore mala procedunt opera mala tamquam fructus mali. Quidam autem diligenter verba Augustini attendentes quibus supra, & in aliis Scripturæ locis utitur, non indocte tradunt voluntatem malam, & actus malos inquantum sunt, vel inquantum actus sunt, bona esse; inquantum vero mala sunt, peccata esse: qui voluntatem, & actum quemcumque bonam Dei naturam esse dicunt, inquantum actus est, vel voluntas, & ex Deo auctore esse; inquantum vero inordinate, & contra legem Dei fit & sine debito caret, peccatum est: & ita, inquantum peccatum est, nihil est: nulla enim substantia est, nullaque natura est.

Auctoritatibus probant, voluntates, & actus omnes esse bona, inquantum sunt.

Quod autem voluntas omnis, & actio bonum sit, inquantum est, ex eo probant quod ait Augustinus in Libro de LXXXII. Quæstionibus, quæst. xxi. Deus tantummodo boni causa est. Quocirca mali auctor non est: quia omnium quæ sunt, auctor est; quæ inquantum sunt, inquantum bona sunt. Idem probans nihil casu fieri in mundo, ait in eodem Lib. quæst. xxiv. Quidquid casu fit, temere fit: quidquid temere fit, non fit Dei providentia. Si ergo casu fiunt aliqua in mundo, non providentia universus mundus administratur. Si non providentia universus mundus administratur, aliqua natura, vel substantia est, quæ ad opus providentiæ Dei non pertinet. Omne autem quod est, inquantum est, bonum est. Summum enim bonum est illud bonum cujus participatione sunt cætera bona; & omne quod mutabile est, seu boni illius participatione, inquantum est, bonum est: quod divinam etiam providentiam vocamus. Nihil igitur casu fit in mundo. His testimoniis innituntur, ad ostendendum, omne quod est, inquantum est, bonum esse. Unde Augustinus in Lib. I. de Doctrina christiana, cap. xxxii. ait:

(1) Augustini textus, non stare, ut Nicolai refert.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Nempe dist. xxxiv. §. iv. ubi ut ex Ench. cap. xi. notatur. (b) Non ipse tamen sed Gennadius Massiliensis, ex quo & S. Thomas quodl. xii. art. 11. & in Catena sua vere aurea super Matth. i. refert.

ait: Ille summe, ac primitus (2) bonus est qui omnino incommutabilis est; & cætera quæ sunt, nisi ab illo esse non possunt; & inquantum bona sunt, inquantum (3) acceperunt ut sint. Ex prædictis colligitur, atque inferitur, quia si mala voluntas, & mala actio est, inquantum est, bona est. Sed quis est qui diffidetur malam voluntatem esse, & malam actionem? Mala igitur voluntas, sive actio, inquantum est, bonum est; & inquantum voluntas est, vel actio, bonum similiter est; sed ex vitio mala est: quod vitium à Deo non est, neque aliquid est. Quod Augustinus notasse videtur in Lib. de LXXXIII. Quæstionibus, quæst. 111. dicens: Vitium est voluntatis, quo est homo deterior: quod vitium longe abest à voluntate Dei, ut ratio docet. Ex hoc loco probant, voluntatem, inquantum vitiosa est, non esse à Deo; & inquantum vitiosa est, peccatum esse. Et peccatum est, ut ajunt, inquantum non habet ordinem, nec finem debitum: ita & actio inquantum ex malo procedit, & ordinem non habet, & in malum tendit.

Alia probatio, quod omnis actus, inquantum est, bonus est.

Item & aliter probant, omnem actum interiorem, vel exteriorem, inquantum est, esse bonum: quia non esset actus malus, nisi esset res bona: quia non est aliqua res mala, nisi eadem res bona sit. Unde Augustinus in Ench. cap. xlii. Omnis natura bonum est, nec res aliqua mala esset, si res ipsa quæ mala est, natura non esset. Non igitur potest esse malum, nisi esset aliquod bonum. Quod cum dici videatur absurde, connexio tamen ratiocinationis nos compellit hoc dicere. Ex prædictis testimoniis asserunt, omnes actus, inquantum sunt, esse res bonas; nec aliquid esse malum, id est peccatum, nisi idem quoque secundum aliquid bonum sit; & omnium quæ sunt, inquantum sunt, Deum auctorem prædicant; & ejus voluntate omnia esse quæcumque sunt, quæ, inquantum sunt, nature sunt.

Objectio contra illos qui dicunt, omnes actus, inquantum sunt, esse bonos.

Quibus opponitur. Si omnia quæ sunt, inquantum sunt, bona sunt, & nature sunt; ergo adulterium, & homicidium, & similia, inquantum sunt, bona sunt, & nature sunt, & Deo volente fiunt. Quod si est, tunc illi qui faciunt illa, bona agunt: quod penitus absurdum est. His vero sic illi respondent. Dicunt equidem, adulterium, homicidium, & hujusmodi, non simpliciter actus denotare, sed actuum vitia: actusque ipsos adulterii, & homicidii, inquantum sunt, vel inquantum actus sunt, à Deo esse, & bonas naturas esse; sed non inquantum adulterium, & homicidium sunt. Et ideo non sequi dicunt, si actus, qui homicidia, & adulteria sunt, à Deo sunt, quod homicidia & adulteria à Deo sint.

Item aliter eis opponitur. Si aliquid non est malum quod non sint natura, vel res bona; quomodo igitur peccata sunt, non credere in Deum, non ire ad Ecclesiam, & hujusmodi; cum ista non sint natura, immo omnino non sint? Non est enim aliquid, vel res aliqua, non ire ad Ecclesiam, vel non credere, & hujusmodi. Ad quod dicunt. His, atque hujusmodi dictionibus, quæ videntur privationes simpliciter notare, & nihil ponere, quia per negationem dicuntur, vere aliqua poni, actusque per eas significari. Non credere enim in Christum, incredulitatem dicunt; & nomine incredulitatis, malum mentis actum significari. Ita etiam cum dicitur: Non ire ad Ecclesiam malum est: non euntis contemptus significatur, id est voluntas mala, vel propositum: hoc est enim declinare à bono, & ideo malum est; sicut è converso, declinare à malo; bonum est. Sicut igitur, declinatio à malo quandoque aliquid ponit, scilicet voluntatem, & propositum vitandi malum (non enim potest esse bonum quod omnino nihil est) ita declinatio à bono, aliquid quod est, significat, scilicet voluntatem, & propositum mali; & secundum hoc vera est & generalis illa peccati mortalis descriptio quam supra posuit Augustinus.

Utrum malus actus, inquantum peccatum est, sit privatio, vel corruptio boni.

Potes etiam quæri ab eisdem; cum peccatum sit, ut supra dictum est, privatio, vel corruptio boni; & omnis actus malus sit peccatum; utrum sit privatio, vel corruptio boni, inquantum peccatum est, vel non. Si enim inquantum peccatum est, corruptio boni est; cum corruptio, vel privatio boni, pena sit homini; inquantum igitur peccatum est, pena est. Quod si est, tunc inquantum peccatum est, bonum esse videretur, & à Deo esse. Si autem non inquantum peccatum est, corruptio boni est, quæritur secundum quid corruptio sit. Si enim corruptio est, & non inquantum peccatum est, cum non sit nisi bonum, præterquam in eo quod peccatum est, ergo inquantum bonum est, corruptio, vel privatio boni est. Ad quod etiam ipsi dicunt, actum malum, non inquantum est, nec inquantum bonum est, esse privationem, vel corruptionem boni; sed inquantum peccatum est; non tamen inquantum peccatum est, pena est, vel aliquid quod ex Deo sit. Ut enim ex verbis Augustini præmissis colligitur, peccatum dicitur corruptio, vel privatio active non passive. Nam ideo malum, vel peccatum dicitur corruptio boni, quia naturam bonam qualicumque privat bono. Nam si non privat aliquo bono, non nocet, ut supra (c) Augustinus ait. Nocet autem. Adimit igitur bonum. Non autem nocet, nisi inquantum peccatum est. Ergo inquantum peccatum est, privat bono. Itaque inquantum peccatum est, privatio est, vel corruptio boni.

Quomodo inquantum peccatum est, possit corrumpere bonum, cum nihil sit.

Sed cum nihil sit, inquantum peccatum est; quomodo potest bonum corrumpere, vel adimere? Augustinus de hoc docet (4) in Libro de natura boni, cap. xx. dicens: Abstinerè à cibo non est aliqua substantia; tamen substantia corporis, si omnino abstinetur à cibo, languescit, & frangitur. Sic non est

In II. Sent. Tom. II. & in dictione concluditur. Vv. 2. (2) Al. deest bonus. (3) Al. additur bona. (4) Nicolai in Lib. de natura & gratia. Ex Edit. P. NICOL. (c) Nempe dist. xxxiv. §. iv. ut ex Enchir. cap. xi. (d) Al. in Deo.

„substantia peccatum; eo tamen natura animæ corrumpitur.“

*Quod peccatum proprie corruptio animæ est, & quomodo.*

**P**eccatum vero, idest culpa, proprie animæ corruptio est. Si autem queritur in quo possit corrumpi anima, in parabola illius qui incidit in latrones, qui eum spoliaverunt, & vulneraverunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli trahitur; & tunc per peccatum spoliatur gratuitis donis, idest virtutibus, & in naturalibus bonis vulneratur, quæ sunt ratio, intellectus, memoria, & ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur, & vitiantur. Per peccatum etiam privatur illo bono cuius participatione cætera bona sunt: quo tanto magis privatur, quanto magis se ab eo longat.

*Qualiter homo se elonget à Deo, scilicet per dissimilitudinem quam facit peccatum.*

**A**B eo (5) autem se elongat (6) per peccatum, non loci distantia: quia ubique totus, & præsens est omnibus, & omnia in ipso sunt, ut ait Augustinus in Libro de LXXXIII. Quæstionibus, quæst. xx. & ipse locus non est. Locus tamen Dei abusive dicitur templum Dei: non quod eo contineatur, sed quod ei præsens sit, & inhabitans. Id autem anima munda intelligitur. Per peccatum igitur non secundum locum aliquis longe fit à Deo: (7) sed in eo longe fit quod ab ejus similitudine recedit; & tanto longius, quanto fit dissimilior. Illa autem, ut ait Augustinus in Lib. de LXXXIII. Quæstionibus, quæst. xxxiii. quæ participatione similia sunt Deo, recipiunt dissimilitudinem. At ipsa similitudo nullo modo ex aliqua parte potest esse dissimilis. Unde fit ut cum similitudo Patris Filius sit, ex nulla parte Patri possit esse dissimilis: cuius participatione similia sunt quæcumque Deo similia sunt, & illa possunt recipere dissimilitudinem. Nihil est autem quod hominem à Deo dissimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cum autem peccatum sit corruptio, vel privatio boni, quæ est in anima; est etiam privatio, & corruptio boni corporis; sicut corpus hominis (8) privavit beneficio illius immortalitatis, & impassibilitatis quam habuit ante peccatum.

*An pœna sit privatio boni.*

**Q**uari autem solet, utrum & pœna sit privatio, vel corruptio boni. Ad quod facile responderi potest, si prædicta ad memoriam revocentur. Diximus enim supra, privationem, vel corruptionem boni accipi active, vel passive, idest secundum efficientiam, vel effectum. Ideoque privatio, vel corruptio boni dicitur & peccatum, & pœna: sed peccatum secundum efficientiam, quia privat, vel corrumpit bonum; pœna autem secundum effectum, idest secundum passionem, quæ est effectus peccati. Aliud est enim pœna, aliud culpa: alterum est Dei, idest pœna; alterum diaboli, vel hominis est, idest culpa.

#### DIVISIO TEXTUS.

**Q**uia in peccato actuali duo considerantur, scilicet defectus, ex quo rationem mali habet, & substantia actus, secundum quam actuale peccatum dicitur; determinato de peccato actuali, secundum quod habet rationem mali, hic incipit determinare de eo quantum ad substantiam actus, in qua defectus fundatur, secundum quem malum dicitur: & dividitur in partes duas. In prima determinat de peccato quantum ad actum; in secunda de potentia, quæ est ad actum peccati, XLIV. distinct. Post prædicta consideratione dignum occurrit, utrum peccandi potentia sit nobis à Deo. Prima dividitur in duas. In prima determinat de peccato in generali; in secunda descendit ad peccatorum differentias, XLII. distinct. Cum autem voluntas mala, & operatio sint peccatum, queritur, utrum in eodem homine, & circa eandem rem hæc duo unum sint peccatum. Prima dividitur in duas. In prima determinat de actu peccati in generali. Sed quia actus peccati vel est interior voluntatis, vel est exterior operis; ideo in secunda parte descendit ad utrosque actus, xxxviii. distinct. Post prædicta, de voluntate, ejusque fine disserendum est. Prima dividitur in duas. In prima prosequitur opinionem quorundam dicentium, actus peccatorum à Deo esse. In secunda ponit opinionem contrariam, xxxviii. distinct. Sunt autem alii plurimi aliter longe de peccato, & de actu sentientes. Prima dividitur in duas. In prima prosequitur opinionem eorum qui dicunt, omnes actus ex Deo esse. In secun-

(5) Al. à Deo. (6) Al. additur homo. (7) Al. & in eo. (8) Al. privatum. (9) Al. de operatione.

dictis colligitur, atque infertur &c.

Quibus opponitur. Si omnia &c. Hic excludit objectiones quæ contra hanc opinionem possunt esse: & dividitur in tres, secundum tres objectiones. Prima sumitur ex his actibus qui mox nominati in malum sonant, ut homicidium &c. Secunda ex omissionibus, quæ actum habere non videntur, ibi: *Item aliter eis opponitur.* Tertia ex comparatione pœnæ ad culpam, ibi: *Etiam queri potest.* Et dividitur in partes duas. In prima ponit objectionem, & solvit eam, ostendens quod aliter est corruptio boni culpa quam pœna. In secunda movet quasdam quæstiones ex solutione occasionatas, ibi: *Sed cum nihil sit, in quantum peccatum est, quomodo potest bonum corrumpere, vel adimere?* & circa hoc duo facit. Primo inquit, quomodo culpa possit esse corruptio active. Secundo quomodo pœna sit corruptio passive, ibi: *Queritur autem solet, utrum & pœna sit privatio, vel corruptio boni.* Circa primum tria facit. Primo ostendit bonum, per quod malum culpæ active corruptio dicitur. Secundo ostendit cuius boni sit corruptio, ibi: *Peccatum vero, idest culpa, proprie animæ corruptio est.* Tertio exponit quoddam quod dixerat, scilicet qualiter aliquis à Deo elongetur, ibi: *Ab eo se elongant per peccatum.*

#### QUÆSTIO I.

**H**IC queruntur quinque.

Primo. De divisione mali in culpam, & pœnam.

Secundo. De definitione culpæ.

Tertio. Si omnis culpa in actu consistit.

Quarto. Si in actu interiori tantum, vel in exteriori.

Quinto. Si culpa est corruptio potentiarum animæ.

#### ARTICULUS I.

*Utrum malum dividatur sufficienter per malum culpæ, & pœnæ.*

I. P. q. XLVIII. art. 5. & de mal. q. 1. a. 4.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod non sufficienter malum per culpam, & pœnam dividatur. Malum enim nihil aliud est quam defectus boni. Sed omne quod invenitur alio minus bonum, non est sine defectu alicujus boni. Ergo omne quod est minus bonum, est etiam malum. Sed omnia creata sunt minus bona. Cum ergo mixta creature sint in quibus non est pœna, neque culpa, videtur quod malum non sufficienter per pœnam, & culpam dividatur.

Præterea. In illis quæ non habent dominium sui actus, malum culpa esse non potest. In quibus autem culpa non est, nec pœna est, quia pœna culpæ debetur. Cum ergo multa sint quæ voluntatem non habent, & ita nec dominium sui actus, in quibus tamen est aliquid malum, ut in rebus insensibilibus patet; videtur quod malum non sufficienter per pœnam, & culpam dividatur.

Præterea. Augustinus dicit (de moribus Manichæ, cap. 111.) quod malum ideo dicitur, quia nocet. Sed omne quod nocet, pœna est. Ergo omne malum aliqua pœna est. Ergo non convenienter aliquid

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) Colligitur ex Lib. I. de lib. arb. cap. 1. & contra Adimantum, cap. xxvii. ut & ex Fulgentio, Lib. de Fide ad Petrum, cap. xxi.

malum contra pœnam dividitur.

4. Si dicatur, quod pœna nocet passive, sed culpa nocet active; contra. Passio est effectus, illatioque actionis. Si ergo pœna est nocumentum passivum, & culpa nocumentum activum, omnis pœna erit illatio quædam culpæ; & ita omnis qui pœnam infert, culpam perpetravit: quod hæreticum est, quia sic ordo justitiæ deperiret.

5. Præterea. Aliqua pœna est quæ tantum in negatione consistit, ut carentia visionis divinæ. Sed passio non est tantum negatio, immo est aliquid ens positive dictum, cum sit unum de decem generibus. Ergo non omnis pœna est nocumentum passive dictum.

6. Præterea. Quædam culpæ sunt in quibus nullus actus consistit, ut patet præcipue in culpa originali. Sed nihil nocet active nisi per actionem aliquam. Ergo non omnis culpa est nocumentum activum.

Sed contra est quod Augustinus (a) dicit: *Omne malum nostrum est vel quod agimus, vel quod patimur.* Sed malum quod agimus, culpa est, malum quod patimur, pœna est. Ergo malum per culpam & pœnam dividitur.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est, malum per se loquendo privatio quædam est alicujus boni; bonum autem in perfectione, & actu consistit: unde oportet secundum distinctionem perfectionum, distinctionem malorum esse. Est autem duplex actus, vel perfectio, scilicet actus primus, & secundus. Actus primus est ipsa prima forma, actus secundus est operatio: & ideo ex privatione utriusque perfectionis diversæ mali differentia consurgunt. Si enim privetur aliqua forma, vel perfectio alicujus rei naturalis, dicitur esse malum naturæ; si autem privetur perfectio operationis, dicitur esse peccatum; quia ut in II. Physic. text. LXXXIII. dicitur, peccatum est in his quæ nata sunt finem consequi, cum non consequuntur. Quælibet autem res per suam operationem finem suum nata est consequi: unde oportet quod peccatum in operatione consistat, secundum quod non est directum ut finis exigit; secundum quod Grammaticus non recte scribit, nec parat recte Medicus potionem. Sed, ut in VI. Metaph. text. 1. dicitur, bonum, & malum quodam speciali modo est in his quæ per electionem agunt; quæ rationem finis cognoscunt; & finem sibi determinare possunt: & ideo peccatum in talibus, quamdam specialem mali rationem accipit, ut scilicet peccatum in eis etiam culpa dicatur: unde peccatum in pluribus quam culpa est: quia, ut ex II. Physic. ubi supra habetur, peccatum est & in his quæ secundum naturam sunt, & in his quæ sunt secundum artem; sed culpa non potest esse nisi in his quæ per voluntatem sunt: nihil enim culpæ rationem obtinet, nisi quod vituperabile est; neque vituperium alicui debetur, propter ipordatum actum; nisi ille actus suo dominio subiaceat. Habere autem dominium super suos actus, ut scilicet possit facere, & non facere, voluntatis proprium est. Unde culpa super peccatum addit ut sit voluntatis actus. Similiter etiam malum naturæ in electionem habentibus specialem quamdam rationem mali accipit, scilicet rationem pœnæ, in quantum voluntas defectui dissen-